

alicujus, arguere? quæ contumelia est atque blasphemia, ipsius Dei statutum atque decretum (ita enim *l. c.*, in Ebræo habetur) pervertere & pedibus conculcare?

Psalms *oſtavus* videtur quidem prædicare opera creationis & nobilitatem hominis, uti & *Laudaquarius* harmoniam suam. Gallicam ejusmodi interpretationi adaptavit. Sed videtur. Testis enim & interpret est omni exceptione major ipse Christus, qui omnium optimè sciebat, ubi de se Spiritus S. Davidi vertendum stylum direxisset. Is verò, teste *Matthæo cap. XXI.* hunc sibi Psalmum, frementibus licet Pharisæis & Scribis, unicè accommodavit, ut adeò meritò notetur à B. Gerhardo *Piscator Herborenſis*, quòd *injurius sit in ipsum Christum*, quando in *Scholys super hunc Psalm.* scripsit, *Quum planum sit verborum Davidis diversum esse sensum, necesse est ut verba Christi aliter accipiamus: Videtur autem* (videte quomodo in turbido fluctuet hic piscator!) e q. s. Ut enim nihil jam dicamus de argumentatione Apostoli Pauli, quæ infirma omninò esset, si probaturus *Christo mortem subiectum iri* ex eo, quia *omnia pedibus ejus*, uti est in Psalmo octavo, *Pater cælestis subjecerit*, medium probandi assumeret, nisi Psalmus ille de Christo intelligendus veniret: Sanè manifestum nimis est non agi de *naturali gloria hominibus in creatione donatâ*, sed de *supernaturali & supercælesti*, quæ nulli $\psi, \lambda \omega$ (nudo) homini accommodari queat, nisi soli $\theta \rho \omega \pi \omega$, neq; etiam homini *ut sic*, quemadmodum loquuntur Philosophi, in creatione simpliciter omnia Dei opera fuere subiecta, uti hoc loco Psalmus dicit, & limitatio expressa est *capite primò Genesewc*, immò per lapsum postea valdè imminuta. Pensitet modò quis per devotionem piam verba Christi apud *Matthæum c. XI, 25. Luc, X, 21. & Pauli I. Cor. I, 19. seqq.* & certè deprehendet ea cum hisce Davidicis, *Ex ore infantium etc.* ex asse concordare.

Ita pariter non tam mirandum est quàm indignandum eò usq; provecos fuisse doctos & illustres viros, qui *Psalmum etiam decimum sextum* sollicitare, ejusq; sensum suâ sede movere & de ponte

de-